



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

Svmmarivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

constituito salatio, nihil ab eo accipere licet, eo quod ei officium illud concedit, quamuis exinde huiusmodi procuratori aliqua redundet utilitas, ex eo quod pecunias habet paratas semper, quibus in commodum suum uti possit, donec eas Domino suo certo aliquo & statuto tempore soluere soleat: cum potius Dominus illis pro labore, opera, & industria recipiendi, custodiendi, & soluendi redditus, & pecunias illas, aliquid mercedis loco soluere teneatur, & iniustus omnino contractus est, quod operarius, ei cui operatur, aliquid soluat.

DECISIO III.

Ex cons. 3. aliis 1.

**P**ensionarius societatem aliquam per procuratores suos constituens, & cuiuslibet sociorum in solidum ad recipiendum pensiones quasdam sibi debitas mandatum dans, virtute cuius vnus dictae societatis eas recipit, deficiente postea societate, pensionarius praefatus pensiones de pecunijs illius societatis, & non de recipientis bonis sibi soluendas repetere potest, & debet, easque societas soluere tenetur; non solum quia omne as alienum, quod manente societate contractum est, de communifoluendum est, omne aurum. ff. pro socio, & gloss. ibi, etiam si ab vno sociorum contrahatur; sed etiam quia quicquid vnus socius tanquam procurator constitutus contemplatione societatis facit, ipsam etiam societatem obligat, sicut & accipiens pecuniam ratione officij, cui praepositus, etiam praepositum obligare censetur. l. quicumque, §. non tamen, & l. fin. ff. de inst. act.

TITVLVS XXIII.

De his, quae vi, metu & causa fiunt.

S Y M M A R I V M.

1. Papa iusta de causa, super omni iure humano dispensare potest, & sic vt Diaconus fiat miles S. Ioannis, & pugnando, & occidendo, non sit irregularis.
2. Gestis metu, eo cessante, qui sciens illa esse nulla, exercet, ratificare videtur.
3. Ordinatus sacris metu, characterem recipit, sed continere non tenetur, & quare.
4. Matrimonium contrahere potest, qui religionem ante 16. etatis, vel Nouitiatum annum est professus.
5. Professio ab initio ob metum nulla, per actus professorum non validatur, nec tractus tempus reconualefcit.

DECISIO I.

Ex cons. 1. aliis 3.

**C**um Papa super omnibus iure humano inductis, iusta de causa dispensare queat, capit. cuncta per mundum 9. q. 3. & cap. proposuit, de concess. praeben. ex iusta etiam causa dispensare potest, vt ob reuerentiam, & metum parentum ordinatus Diaconus, & beneficium adeptus, eo retento, non teneatur Presbyter fieri; sed vt translatus ad Religionem S. Ioannis Ierosolymitani bella iusta, & tanquam militum ductor proprijs etiam manibus sine irregularitatis incurfione bellare possit, nec ad horas Canonicas dicendas, sed tantum ad orationes, & preces Militum S. Ioannis Ierosolymitani teneatur; praesertim, cum haec omnia iure humano solum inducta esse constet.

DECISIO II.

Ex cons. 2. & 3. aliis 4. & 5.

**M**etu iusto, & cadente in virum constantem a patre Millato, etatis annum decimum sextum agens, aut decimum septimum, sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines suscipiens, sed nunquam postea id vero animo ratificans, licet longo tempore taceat, & non reclamet, pu-

tans se non posse id iuste facere, quamuis etiam per metum & errorem multoties viuente patre durante eodem metu, & semel etiam post mortem eius Epistolam, aut Euangelium, citra tamen ordinis approbationem, in Ecclesia solemniter cantauerit; vxorem ducere potest, & iustam petendi, & cum eo dispensandi causam habet. Quamuis enim ordinatio illa quoad characteris impressionem tenet, eo quod, quoad id sufficit consensus etiam metu extortus, c. Maiores, §. item quaritur, de baptismo, quoad votum tamen continentiae; seu obligationem ad continentiam ordini sacro annexam non valet; sed neque sic per iustum metum ordinatus, ad continentiam tenetur, c. 1. & 2. de his quae vi, & gl. ibi. & fauent Angelus ver. ordo. 3. §. vt. Sor. 4. d. 25. q. 1. art. 2. conclu. 9. & d. 39. q. 1. ar. 3. conclu. 11. & li. 7. de iusti. q. 2. ar. 1. cum votum iusto metu factum ipso iure nullum, & irritum sit, cap. 1. de his, quae vi, & glo. in d. c. 2. eod. tit. idemque ait. Nau. in Man. cap. 12. nu. 32. Quamuis etiam actus metu gestus expressis, & tacite ratificari possit, immo illum metu cessante exercens ratificare videtur, si sciat illum esse nullum, & cum exercet animo reborandi, & faciendi illum de inualido ualidum; non tamen si ignorat esse inualidum, cumque exercet putas per errorem esse validum; vnde qui post mortem patris qui vim intulit actum ordinis exercet, non quidem vt ratificet actum metu gestum, sed vt satisfaciat ordinis obseruantiae ad quam per errorem obligatum se putat, nullo modo ad continentiam seruandam vi illius ordinis recepti, aut exercitij actus illius tenetur, sed iustam habet causam petendi dispensationem, ex eo quod metu facta, aut ipso iure sunt nulla, aut certe rescindenda sunt. c. Abbas. & ibi gl. de his quae vi, & Nau. in Man. praelud. 6. nu. 4.

DECISIO III.

Ex cons. 4. aliis 2.

**O**rdinatus Subdiaconus metu iusto, & cadente in virum constantem, & sine dispensatione vlla ducens vxorem, ex qua liberos procreat, quamuis in foro exteriori vtilis ei sit dispensatio, ne detur occasio aliquibus existimandi Matrimonium illud esse nullum, & liberos susceptos illegitimos esse, cum manifestum omnibus, sit ordine sacro insignitum non posse vxorem ducere, & si ducat, non valere Matrimonium, & excommunicationem incurtere Clem. 1. de consanguin. & c. ante triennium, d. 3. in foro tamen conscientiae nulla absolutione, aut dispensatione indiget, sed tuta conscientia, & coram Deo iuste praedictae vxori suae coniuuere potest, cum quoad illud forum sit vxore eius maritus, ex eo quod ordinatus metu solum ordinis characterem suscipit. c. Maiores, de baptismo, c. vbi ista, d. 74. ad continentiam autem non tenetur, cum votum metu factum nullum, & inualidum sit, c. 1. & 2. de his, quae vi. In quo casu tam Episcopus sua potestate ordinata, quam Papa ipsemet, vel alius per eius commissionem, aut dispensare potest, si, & quatenus opus esset, aut declarare Matrimonium illud validum esse, & liberos ex eo susceptos vere legitimos esse.

DECISIO IX.

Ex cons. 5. aliis 9. de his, quae vi metus, & 89. de regular.

**P**rofessio metu reuerentiali in Religione S. Ioannis Ierosolymitani, aut alia quacunque Religione ante decimum sextum etatis annum, vel ante finem anni nouitiatu facta, ipso iure nulla est, ex Concil. Tri. sess. 25. c. 15. de Reg. neque per gestationem habitus annalem validatur; & talis, vel sua sponte discedens, vel aliqua de causa a religione expulsus, licet vxorem ducere potest, nisi aliud canonicum impedimentum obstat; cum talis professio nullum inducat effectum; adeo quod neque professio facit religiosum in genere, id est, obligatum ad intrandum aliquam religionem, sicut ante Tridentinum obligabat, c. Non solum, de Regul. in 6.

C ; DE.